



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Nouo Testamento Quatuor Eua[n]=||gelia**

**Erasmus, Desiderius**

**Erphordie, 1520**

**VD16 B 4591**

Capvt. XXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34488**

SECUNDVM.

Tunc cœpit detestari & iurare, quod non noffet hominē. Et continuo gallus cantauit. Et recordat<sup>9</sup> est Petr<sup>9</sup> verbi Iesu, qui dixerat ei, Prius q̄ gallus canet, ter me neabis, & egressus foras, fleuit amare.

¶ CAPVT. XXVII.

Ane autem facto, concilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Et vinctum eum adduxerunt & tradiderunt pōtio Pilato præfidi. Tunc videns Iudas qui eum tradiderat, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem innoxium. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videbis. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autē sacerdotū acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonā, quia præciū sanguinis est. consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, quapropter vocatus est ager ille ager sanguinis, vsq; in hodiernum diem. Tūc impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos præcium æstimati, quē æstimatum emerunt a filijs Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut cōstituit mihi dominus. Iesus autem stetit ante præfidē, & interrogauit eū præfides, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis. Et cū accusaretur a principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis q̄ multa aduersum te dicunt?

MATTHAEVM. FO. XXXIII.

eunt testimonia? Et non respondit ei ad vllū verbum, ita vt miraretur præses vehementer. In festo autē consueuerat præses turbae dimittere vnum vinctum quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Vtrum vultis dimittam vobis, Barabbā, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod propter inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: nihil tibi cum iusto illo, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt turbis, vt peterent Barabbā, Iesum vero perderent. Respondens autem præses ait illis: Vtrum vultis vobis e duobus dimittam? At illi dixerunt, Barabbam. Dixit illis Pilatus: Quid igitur faciam Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt ei omnes, crucifigatur. Præses autē ait: Quid enim malū fecit? At illi magis clamabant, dicentes, crucifigatur. Videns autem Pilatus quod nihil proficeret sed magis tumultus fieret, accepta aqua, abluīt manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine huius iusti, vos videbitis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam. Iesum autem flagellatum tradidit vt crucifigeretur, tunc milites præsidis suscipiētes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & cū exuissent eum, circumdederunt ei chlamydem coccinā, & coronam de spinis contextam imposuerunt super caput eius, & haudū ad dexteram eius, & genu flexo ante eum, illudebant

ei, dicentes : Ave rex iudæorum . Et cū expuissent in eū, acceperunt harundinē, & percutiebāt caput eius . Et postquā illussissent ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis suis, & abduxerunt eum vt crucifigerent . Exeuntes autem intuerunt hominem Cyrenæū, nomine Simonē hunc adegerūt, vt tollet crucem eius . Et venerūt in locum, qui dicitur golgatha, quod est caluarie locus . Et dederunt ei acetum bibere cum felle mixtū, & cū gustasset, noluit bibere . Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimēta eius, sortem mittentes, vt impleretur quod dictum est per prophetam : Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem . Et sedentes seruabant eū ibi, & imposuerūt super caput eius causam ipsius scriptam : Hic est Iesus rex Iudæorum . Tunc crucifiguntur cū eo duo latrones, vnus a dextris, & alter a sinistris . Prætereuntes autē conuicia iaciebant in eum, mouentes capita sua, & dicentes : Tu ille qui destruebas templum, & in triduo ædificabas : serua te metipsum, si filius dei es, descende de cruce . Similiter & principes sacerdotū, illudentes cum scribis & senioribus, dicebant : Alios seruauit, se ipsum nō potest seruare, Si rex Israhel est, descendat nunc de cruce & credemus ei . Confidit in deo, liberet eum nunc si vult eum . Dixit enim, filius dei sum . Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cū eo, exprobrabant ei . A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsq; ad horam nonam, & circa horam nonā clamauit Iesus voce magna, dicens : Eli eli lama sabachthani : Hoc est, Deus meus, deus meus, cur deseruisti me ?

MATTHAEVM. Fo. XXXV.

Quidam autem illic stantiū, cum audissent, dicebant: Heliam vocat iste. Et continuo currens vnus ex eis, cum acceptam spongiam impleffet aceto, imposuit harūdini, dabatq; ei vt biberet. Ceteri vero dicebant: sine, videamus an veniat Helias liberaturus eum. Iesus autē cū iterum clamasset voce magna, emisit spiritū. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo vsq; ad imū. & terra mota est, & petræ scisse sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. & egressi e monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio, vero & qui cū eo erant custodientes Iesum. viso terræ motu, & his quæ facta fuerant, timuerunt valde, dicentes: Vere filius dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ, e longinquo spectantes, quæ secutæ fuerant Iesum a Calilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorū Zebedæi. Cū autē vespera facta esset, venit homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus fuerat Iesu. hic accessit ad Pilatum, ac postulauit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et cū accepisset corp<sup>9</sup> Ioseph, inuoluit illud sindone mūda: & aduoluto saxo ingenti ad ostium monumenti, abiit. Erat autē ibi Maria magdalene & altera Maria, sedentes contra sepulchrū. Postero autem die quæ sequitur parasceuen, conuenerūt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine restituti sumus, quod impostor ille dixit adhuc viuens: post

tres dies resurgam, iube ergo muniri sepulchrum vsq; in diem  
 tertiu, ne quando veniat discipuli eius, & furentur eum: dicantq;  
 plebi, surrexit a mortuis: & erit nouissimus error peior illi prio-  
 re. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam: Ire. munite sicut scitis. Il-  
 li autem abeuntes, munierunt sepulchrum, obsignato lapide, ad-  
 hibitis custodibus

¶ CAPVT. XXVIII.

Espera autem sabbatoru, qua lucefcit in vnam sab-  
 v batorum, venit Maria magdalene & altera Maria, vt  
 viderent sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est  
 magnus. Angelus enim domi descendit de caelo: & accedens, de-  
 uoluit lapidem ab ostio, sedebatq; super eum, Erat autem aspe-  
 ctus eius sicut fulgur, & vestimentum eius candidum sicut nix.  
 Præ timore autem eius concussi sunt custodes, & facti sunt velut  
 mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite  
 timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis,  
 non est hic. surrexit enim sicut dixit. Venite, videte locum vbi po-  
 situs erat dominus. Et cito euntes dicite discipulis eius, quod  
 surrexit a mortuis, & ecce praecedit vos in Galilaam, ibi eum vide-  
 bitis, ecce dixi vobis. Et digressæ celeriter a monumento cum tim-  
 more & gaudio magno, currebant vt renunciarent discipulis eius.  
 Cum autem issent ad renūciandum discipulis eius, & ecce Iesus  
 occurrit illis, dicens: Auete. Ille autem accesserunt & tenuerunt  
 pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere:  
 Ite renūciate fratribus meis, vt eant in Galilaam, & ibi me videbitis.